



perando se Parentem populo Romano praestaret. Τέτα δὲ δὴ ἔτας ἔχοντος, πᾶτά  
 σε ἀνάγκη καὶ ἡδέως βιάσασθαι. Τί μὲν γὰρ ἦδιον, τί δὲ εὐδαιμονέστερον ἔστι τῶ πάντων τῶν  
 ἐν ἀνθρώποις ἀγαθῶν μετ' ἀρετῆς ἀπολαύοντα καὶ τοῖς ἄλλοις αὐτὰ δίδοναι δύνασθαι:  
*quid enim dulcius, quid beatius, quam cum virtute omnibus humanis bonis fru-*  
*entem iisdem alios quoque impertiri posse?* apud DIONEM l. c.

Sed hanc talem, similem divinae, hoc est, verissimam amabilemque ma-  
 gnitudinem venerabunda spectat in REGE suo Dania, hanc magnificam, regio-  
 que fastigio dignissimam felicitatem laetissima gratulatur IPSI, et vero etiam  
 sibi. Neque enim aliam REGIS, aliam suam novit felicitatem: suam REGIS  
 videt esse, regia fruitur vt sua. Eius paterna diligentia et indulgentia pacem se-  
 curam agit, divinae humanaeque sapientiae studia indies efflorescere laetius vi-  
 det, bonam rerum omnium copiam e mercatura, ex artibus omnibus redun-  
 dare sentit. Hanc Patriae suae felicitatem et antea intellexere, et, vt supra di-  
 ximus, cum maxime, quamvis procul ab domo, sentiunt, et Patriae suae gra-  
 tulantur Cives nostri e Dania. Quo magis existimant, esse suae pietatis, eum  
 sensum proferre in publicum, eoque proferendo vtcunque gratum adversus PA-  
 TRIAE suae PARENTEM animum declarare. Huius gratae laetitiae pieta-  
 tisque suae interpretem esse voluerunt PAVLLVM VIDALINVM, Islan-  
 dum, iuvenem doctum et disertum. Is proximo die Idibus, qui est REGI DA-  
 NIAE natalis, in Auditorio nostri Ordinis, ab hora nona, recitabit Orationem,  
 qua felicitatem Imperii Danici demonstrat, et vota pro salute et prosperitate RE-  
 GIS optimi nuncupet, per cuius sapientiam et indulgentiam ea felicitas vel nata,  
 vel firmata, vel aucta est. Huic igitur Oratori vt frequentiam praestent RECTOR  
 ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES,  
 VTRIVSQUE CIVITATIS PROCERES, Vniversique Academiae Ci-  
 ves, et eorum verbis, qui eum suae pietatis interpretem constituerunt, et nostri  
 Ordinis nomine etiam atque etiam rogamus. Aequum est, illam tam laudabi-  
 lem pietatem quamplurimos testes habere. REGIS Daniae autem laudibus  
 nulla alia in terra magis debet favori, quam in hac nostra, cuius PRINCEPS  
 communes cum illo maiores habet, vt Daniae felicitatem quodammodo nostram  
 debeamus putare, et in societatem laetitiae Danorum publicae venire. Atque  
 etiam illa oratione audienda vel commovebitur, vel potius inflammabitur fidele  
 desiderium absentis, heu nimium diu! PATRIS PATRIAE nostrae indul-  
 gentissimi, faciemusque vero animo vota, vt ille quamprimum nobis, veluti  
 post longae hiemis asperitatem et tristitiam, vernalis teporis lenitas amoenitas-  
 que, et cum eo pax, tranquillitas, bona copia, felicitas publica restituatur. P. P.  
 Dom. Iudica A. C. MDCCLVII.



L I P S I A E

E X O F F I C I N A B R E I T K O P F I A .